

1426

opes; sed Venetorum maximas esse. Aliud certe esse in aliena terra, aliud in sua bellare. Nec suum nomen parvam accessionem ad omnia gerenda futurum, quippe qui suscepta bella fœliciter obivisset, omnes secum acie congressos superasset, qui per tot armorum pericula, labores, discrimina, & parere didicisset, & imperare. Nam quod ad Philippi in Venetos animum attineret ( quandoquidem illius consilia ob longam consuetudinem explorata haberet ) certo se scire, tam diu bellum, quod jam antea animo moliretur, adversus Venetum imperium dilaturum, quoad Florentinorum opes prorsus evertisset. Extinguerent igitur, quum per occasionem liceret, tam vicinum incendium; seque, si in administrando bello rem Venetam juvare posse intelligant, suo jure uterentur: quando ob Philippi in se ingratitudinem, eodem studio, industria, ardore animi, quo summum illi olim amicus principatum quæsivisset, eodem paratus esset evertere: amplexarentur modo Veneti tantam gerendæ rei occasionem, suumque imperium non solum tuerentur, sed longe etiam latèque ampliarent; Florentinosque in libertate germanos, adversis rebus laborantes, præsenti ope juvarent. Quod ut facerent, illud imprimis persuadere posse & debere, quod se belli auctorem nauci essent, cuius opera ( modo usui fore crederent ) suo usuri essent arbitrio: plures fortasse viros virtute & fama præstantiores, sed majore in Venetum nomen fide, aut in hostes odio, habituri neminem.

Motos Carmaniola verbis Patrum animos, ut jam pro pmodum omnes ad bellum inclinarent, Foscarus Princeps, in tanta occasione haud cessandum ratus, vehementi est oratione adortus. Nam ita Veneti imperii fortuna tulerat, ut Respublica ea tempestate Principem nauci esset, præter miram sapientiam, ad res etiam magnas & arduas natum, naturaque apprime tyrannis infesta. Is igitur in hanc dicitur sententiam locutus. Duo sunt in Respublica, Patres optimi, quæ et si re & nomine dulcissima videantur, saepè tamen amplissimis civitatibus calamitates invenerit: pax videlicet, & a publicis impensis vacatio. Etenim hæc tantum longe prospecta pericula, propius admota ante

Foscaris  
Principis  
oratio.